

1711.

1. Beckius, *Corpus Schabius*: *De perfuri & occasione
praescindenda.*
2. Boye, *Zea Lutus*: *De legibus cibariorum et vestiariorum
Pythagorae carmine causis*
3. Braun, Matthias Nicolaus: *De constitutio[n]ibus pri-
cipium comprehendens Digestorum Leanderbachianum*
4. Brucknerus, Gust. Hieron.: *De nullitate processus sanabili
et insenabili.*
- 5^a, 6^a Brucknerus, Gust. Hieron. Heroyanus: *De apertura herba-
mentorum. 3 Script. 1711, 1739, 1740*
- 6^a-t Fries, Ioh. Bernhardus: *De jure fontium. 2 Script. 1711
2 1745*
7. Fries, Ioh. Bernhardus: *De intempestivis Responsabo-
ritus*
8. Fries, Ioh. Bernhardus: *De jure semi[n]terum.*
- 9^a, 10 Fries, Ioh. Bernhard: *De jure principis a[re]a bona
subditorum. 2 Script. 1711 - 1745.*
10. Fries, Ioh. Bernhard: *De vera sponsaliam De praesenti
et nuptiarum Diff[er]entia.*

- 1711.
11. Friesen, Ioh. Bernh.: *De fendi ius allodium praescriptio*.
Frons.
12. Friesen, Ioh. Berhardi: *De acquisitione per tradit.*
Frons.
13. Friesen, Ioh. Berhardi: *De appellationibus praeposi-*
mis Ieronimis.
14. Gerhardi; Ephraim: *De reticulatione. Tectorum*
15. Gerhardi, Ephraim: *De criminis lenociniis.*
16. Lehmann, Ioh. Iac.: *De mutatione studiorum.*
Sd. 3., cui . . . ajecha est dissertatione: *Recu, quod*
justum et circa non tales. 1715.

19
10. BERNHARDI Friesen, IC. 134

HEREDITARII IN POESEN,

SERENISS. DVC. SAXO-ISENAC. CONSIL. AVL. ET CONSIST.

NEC NON ANTECESSORIS, COLLEG. IVRID. ET SCAB.

ASSESSORIS GRAVISSIMI,

Pr. 4. num 16.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,

DE

IVRE FONTIVM,

Oder:

Vom Brunnen-Recht.

T 129
QVAM

IN CELEBERRIMA ACADEMIA IENENSI

D. V. IAN. AN. MDCCXL.

PRO GRADV DOCTORIS

QVONDAM HABVIT

CHRISTIANVS DOEHLER,

TREBNIZ. MISNICVS.



IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS,

M DCC XXXXV.



IO. BERNARDI Sylphidij

HERCULANI IN FESSEN
SERVITIS DAE EXO-TERRA CONSPIRE AVI ET CONSIST
NEC NON VITRAGGONIS GOLDE DARD ET CESSAR
ASPERGORIS GRASSIM

DIESERATATIO INT. CARATIS TARDIC.

DE

VARIE FONTIUM

DSCH

VARIE FONTIUM DSCH

IN CELLEBRRIMA ACADEMIA IENENSIA

PRO GRADU DOCTORIS

CONGRADVM HABAVIT


CHRISTIANVS DOHLEER

TRINITY MISCICAE



IENAE REC. LIBRARIS LITTERARUM

M DCC XXVII.





§. I.

FONTIS vox primitivum est, & denotat locum aquæ salientis sive ex terra sive ex aquæ ductu, item ipsam aquam salientem, germ. *ein Brunnen*. Puteus fons in imo effossus, cuius aqua educi debet. Fontium vero maximus usus est, omnique creaturæ viventi valde necessarius. Inde etiam ab antiquissimo tempore habitationes familiarum ad fontes institutæ sunt, quod inter cætera innuitur quoque per græcam vocem πηγὴ, quæ fontem significat, & pagum seu vicum; quasi necessè sit, ut pagus seu cohabitatio familiarum sit in eo loco ubi fons invenitur, adeoque utrumque uno nomine insigniri debeat. Id quod conspicitur quoque a contrario, nam in iis regionibus ubi est defectus fontium & aquarum, ibi etiam vici & pagi non adeo frequentes sunt. Testatur id *P. du Val. in Georg. p. m. 275.* de Lybia Africae regione, quando dicit, peregrinatores debere sibi prospicere de esu & potu, additque rationem: quia sæpe intra centum milliarium spatiū neque habitatio neque fons reperitur. Eandem necessitatē sustinuit quoque populus

A

Israe-

Israeliticus in deserto, qui providentia divina bis ex petra aqua potitus est. *Exod. 17.v.6. Num. 20.v.8.*

§. II. Differt fons a stagno & lacu ut majus & minus, quamvis enim hæc, pariter ut ille, aquam e terra salientem, adeoque ipsum fontem in loco scaturiginis in se habeant; tamen stagnum aut lacus dicitur collectio plurium aquarum, quæ adeo majus terræ spatium replet, fons minus, & modicam habet circumferentiam scatebræ. Deinde piscium plerunque alendorum causa habentur lacus pariter ut piscinæ, & aquæ si quæ inde hauriuntur, ad usum hominum quotidianum adhiberi non solent; cum contra fontium purior aqua usui nostro principaliter inservire soleat. A puteo differt fons, quod hic in summo supra terram sit, manantibus & fluentibus aquis sine labore hauriendis; ille vero ex imo effossus, & ex visceribus terræ aquam hauriendam suppeditet. Ita Ulpianus *L. 1. §. 6. ff. de aqv. cotid.* fuit quædam aquæ, quæ eti perennes sunt, duci tamen non possunt, ut puta puteales, quæ ita sunt submersæ, ut defluere extra terram non possint. Semper autem vivam & scaturientem aquam habent fons & puteus; inde etiam differunt a lacuna & lacu quod hæc rarius aquam vivam, sæpius imbris collectam contineant. Eadem ratione distat puteus a cisterna, quæ quamvis pariter ut puteus

teus in terram defossa fit , tamen aqua viva & scaturiente caret , & tantum imbribus collecta , & sic purificata constat , ut usum quoque præbere possit . Casteilum L. i. §. 38. ff. de aqu. cot. est receptaculum & dividiculum aquarum , ipsa sui natura a fonte & puteo satis diversa : neque enim aquæ fontanæ tantum in eo haberet & dividi , sed etiam fluviatiles possunt & solent .

§. III. Variæ autem sunt fontium species , alii enim habent aquam amaram , quæ bibi non potest . Exod. 15. v. 23. Alii habent aquam acrem dicti Sauer-Brunnen . Alii aquam calidam , quo pertinent die warmen Bæder , & fons ille miraculosus prope Budam in Hungaria , qui superius aquam habet calidissimam , in fundo vero optimos pisces natantes alit . vid. P. du Val. in Geogr. p. m. 374. inde jocatus est ille peregrinator , se vidisse fontem ex quo pisces jam cocti capi possint . Alii aquam falsam , & miraculum est quod narrat Erasm. Francisci in der lustigen Schau - Bühne p. 134. de fonte qui utramque aquam falsam & dulcem simul habet . Alii aquam salubrem , dicti Gesund - Brunnen , præbent . Sunt & fontes , qui admittunt fluxum & refluxum , instar maris , quales in Anglia prope civitatem Caermardinensem Erasm. Francisci all. loc. & in Sabaudia prope Camberium P. du Val. in Geogr. p. 246. reperiuntur . In Catalonia dicitur

A 2

esse

esse fons cuius aqua vini rubri colorem exhibit.
id. p. 156. De fonte quodam ardente & de alio ge-
lido vid. *Erasm. Franc. loc. all.* In Insula Ferro habi-
tantes aquam non ex fontibus, sed ab arbore mi-
raculosa, quam Hispani Santo vocant, hauriunt.
P. du Val. in Geogr. p. 333. Alii habent aquam dul-
cem, qua utimur, de quibus hujus loci.

§. IV. Deinde fontes sunt vel *naturales*, qui
natura stimulante citra factum hominis e terra
saliunt; vel *artificiales*, qui arte & industria huma-
na instructi aquam emittunt. Ut vero ars hu-
mana infinita prope est, ita etiam infinitæ dari
possent species fontium artificialium. In genere
eorum quidam inveniuntur, qui nisi accesserit ars
& industria humana, aut plane nullum aut saltem
non ita commodum usum præbere possint. Huc
pertinent putei, *gegrabene Brunnen*, *Plump-Brunnen*,
fontes ductiles, *Röhr-Brunnen*. Alii vero arte ac-
commodati sunt, & præcipue ad pompam & splen-
dorem quendam exstructi. Quales sunt fontes
in hortis & palatiis magnorum principum, qui
dicuntur *fontainen*, inter quos præstantissimus
totius Germaniae esse dicitur Salisburgensis.

§. V. Jus varias habet significaciones de qui-
bus vid. *I. pen. & ult. ff. de just. & jur.* potissimum
legem denotat, & potestatem agendi quæ dicitur
facultas a Grotio. Utraque significatio hujus est
loci;

loci; ita ut in hac disputatione sermo fiat, de legibus circa fontes & puteos eorumque usum latis, & de facultate hominibus circa eorum usum competente, de obligationibus item hominibus eorum intuitu competentibus. Atque in hac relatione ad jus, varias divisiones recipit fons & puteus, sine quibus distincti conceptus formari nequeunt, ideo eas prius excutere placuit.

§. VI. Prima autem & generalissima affectio omnium rerum est dominium seu proprietas, juxta quam & de fonte & puteo, (licet enim nunc vocibus his promiscue uti, postquam utriusque jura perpendere constitutum est,) dicitur, quod sit vel in *alicujus proprietate*, vel in *nullius proprietate* seu dominio constitutus. Nam ab initio mundi sine dubio fontes nullius fuerunt, & eorum usus omnibus patuit: postquam vero dominia rerum distincta, idem etiam fontibus accidit & occupati sunt *arg. l. 5. ff. de just. & jur. & quidem vel ut res principalis, vel ut accessorium fundi, cui inharent, nam valet & hic regula vulgaris: accessorium sequitur suum principale. l. 19. §. 13. ff. de aur. & arg. leg.* Cum vero plerique fundi & res immobiles hodie sint in proprietate, ita etiam plerique fontes in proprietate esse censendi sunt. Istud autem tribuit dominium fontis, ut Dominus alias omnes ab usu ejus excludere possit; *arg.*

§. 12. *Inst. de rer. div.* cum contra fontis qui nullius est liberum quilibet usum habeat.

§. VII. Sed hic discutienda venit quæstio præjudicialis, quid de moralitate dominii fontis dicendum sit & an de jure naturæ & gentium istud constitui atque alii homines ab usu ejus excludi possint? sâne aqua est ex numero maxime necessariorum, & in hoc cum sole & aëre pari passu ambulat, quorum usus naturali jure omnibus communis esse dicitur, §. 1. *Inst. de R. D. Puf. de J. N. & G. lib. 4. cap. 5.* §. 2. ita ut dominium excludat. Et quibus in rep. romana aqua & igni interdicebatur, necessario ditione romana emigrare tenebantur; §. 2. *Just. de cap. dim.* Ita & ii qui proprium fontem non habent, si perpetuo excluderentur a proprietariis ab usu aquæ, necessario orbe excedere necesse haberent. Deinde & inhumanum nimis est, aquam, quam benigna natura gratis abundeque suppeditat, indigenti denegare ideo, quod fontis hujus vel illius dominus sum. Sed hæc non obstant, quo minus proprietas fontium introduci potuerit. Nam quamvis aqua una cum sole & aëre summe necessaria sit ad vitam; tamen postquam dominia rerum ceperunt, uti v. g. de jure non potest quis in aliena gramina recubare, aëris aut solis recipiendi causa, ita & citra domini voluntatem aquam

aquam ex ipsius fonte haurire nequit. Quod autem de usu communi aquarum dicitur, *loc. supr. citatis*, illud de aquis in genere intelligendum, non de hoc vel illo fonte. Et licet fontes benignitate Dei & naturæ aquam gratis, & in quibusdam locis abundantanter satis dent; adeoque quæ gratis accepimus gratis quoque danda sint; potest tamen Dominio, tum ratione itineris ad fontem per fundum suum, tum ratione laboris, sumptuum item & impensarum ad sustentationem & refectionem fontis faciendorum, & aliis modis interessé, ne ex suo fonte aqua hauriatur.

§. VIII. Id tamen quod ad stabiliendam justitiam dominii fontium dictum est, cum grano salis intelligendum: ne scilicet lèdantur officia humanitatis, dum juri domini quæsito strictè nimis inhærere velimus. Deinde etiam, ut in dominio rerum quarumcunque, ita & hic, non excludendus casus necessitatis; & statuendum cum moralistis tunc reviviscere jus pristinum rebus utendi communiter, pariter ac si dominium nullum adesset. *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 6. n. 2.*

§. IX. Deinde fontes sunt vel *publici*, qui in proprietate quasi populi *arg. l. 15. de V. S. l. 14. §. 2. ff. de acq. rer. dom. arg. l. 1. §. 7. ff. de quæst. vel universitatis*, qui in civitatis, vel pagi, vel cuiuscunque universitatis; vel *privati* qui in privatrum,

rum, unius, vel plurium, (quo casu dicuntur *communes, arg. t. t. ff. comm. divid.*) sunt proprietate.

§. X. Denique fons est vel *proprius*, qui etiam est talis licet solam habeamus proprietatem; vel *alienus*, qualis etiam est ille in quo usumfructum habeamus *arg. pr. Inst. de her. inst. junct. l. 26. ff. de Serv. præd. urb.* Neque enim putandum, proprietatem fontis semper obstare, quo minus alter aliquid juris in eo acquirere possit. *arg. dict. text.*

§. XI. Leges autem quod attinet, præsupponendum est, eas esse vel *naturales*, vel *civiles*. Naturalis ab ipsa natura humana dictatur, & ab omnibus hominibus observanda est: civilis a summa in republica potestate fertur, & a subditis seu civibus istius reipublicæ custodiri debet, §. I. *Inst. de jur. nat. gent. & civ.* Quid vero dictitet Lex naturæ de fontibus eorumque usu dispiciendum. Sed hic quidem non multo labore opus est: nam quemcunque hominis statum naturalem agnoscas, sive *pacis*, cum Grotio & Pufendorfio, sive *belli*, cum Hobbesio, sive *mixtum*: atque juxta ea præsupposita legem fundamentalē juris naturæ facias, tamen semper concludi debet talis lex naturæ de fontibus: NE TURBES HOMINES IN VSV FONTIVM. Nisi enim lex hæc observatur, manifesto peccatur contra custodiā æqualitatis & socialitatis, uti & contra principium

cipium Hobbesianum: quærenda est pax ubi haberi potest, si non, quærenda belli auxilia.

§. XII. Usus autem fontium variis turbatur modis: aquam scilicet quoctunque modo corrumpendo, ut usui quotidiano servire nequeat; alios positis custodiis ab aquæ haustu repellendo; quando ita munitur & occluditur fons vel puteus, ut alii eum aperire non possint; item quando via eundem versus intercipitur; porro quando venæ aquæductuum interciduntur. Omnia autem maxime turbatur venenando, quo modo alia quoque ratione injuria fit, dum simul vitis hominum insidiae fiunt. Quocunque autem modo usus fontium impediatur, semper statuendum est, peccari eo casu contra jus naturæ.

§. XIII. Atque hujus legis sanctitas tanta est, ut etiam ab omnibus gentibus custodiatur. Et cum alias de jure gentium in statu aut tempore belli licitum sit, aquas ita corrumpere ut bibi nequeant, aut fontis venas intercipere, *Grot. de J. B. & P. lib. 3. cap. 4. §. 17.* Tamen ita procedendum est, ut impediatur usus potius, ad obtinendum finem bellicum; quam ut, concessò quidem usu, vitæ hominum aut sanitati, insidiemur. Et rectissime dicit *Florus* apud *Grot. loc. all. §. 16.* Fontes veneno inficere, non tantum esse contra morem majorum, sed contra fas Deum. Ab ipsis

B

itaque

itaque gentilibus juri divino contrarius reputatus est ejusmodi actus: ex scriptura ergo sacra cum *Osiand.* ad *Grot. loc. all.* ideo, quia ab Abraham, Josua & cæteris belli Duciibus idem factum nuspian legatur, probetur necesse non est.

§. XIV. Neque universali huic legi limites ponit dominii introductio, sed potius juxta ipsius principia explicanda quoque erit. Quando enim turbare non concessum in fonte nullius, multo minus in proprio id licebit. Nec dominium alicujus in fonte competens, eo extenditur ut alios ab usu fontis necessario citra justam causam excludat. Scilicet usus aquarum pariter ut ipsius aëris maxime necessarius est, & morali dominii naturæ repugnat utique, ita sibi rem propriam dicare, ut alter æque homo ab usu ejus rei necessario repellatur. *Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 6. n. 2.* Utut id fieri posse justa de causa, si v. g. aliunde aquam haurire commode valeat, aut, si ad refectionem, aut adificationem fontis nihil impensa facere velit, non sit diffitendum.

§. XV. Quemadmodum vero jus Civile subservit juri naturali & gentium *L. 6. ff. de J. & J.* ita quoque ejusmodi jura circa fontes non defunt, quæ necessario arguento ex titulis Digestorum, de aqua cottidiana & fonte, probari possunt. Quando enim dicit prætor: *Uti eo anno aquam,*

aquam, de qua agitur non vi, non clam, non precario duxisti, item: Uti fonte, de quo agitur, usus est, quo minus ita utaris, vim fieri veto, istas leges ut certas & necessarias non præsupponit solum; sed & ipsi domino, jure dominii non obstante, obest, ne alium, qui uno anno usus est aqua & fonte ipsius, in posterum ita uti prohibeat. Si itaque hoc de fonte alterius statutum est, quin non potius inhibitum esse censendum est, arcere aliquem ab usu fontis nullius, publici, communis & proprii: uti restringe DD. de usu fontis non impediendo interdictum hoc explicant communiter.

§. XVI. Atque ea, quæ de non impediendo usu fontis, decreta deprehenduntur in legibus civilibus, etiam ad quamcunque corruptionem aut conspurcationem aquarum extendenda sunt, non solum; sed & expressa lege penali, quam ex Frontino refert Leifer. in jur. Georg. lib. III. cap. 24. sequentem in modum cautum est: *Ne quis aquam oletato dolo malo ubi publice salit, si quis oletarit, festeriorum Decem millium multa esto.* Hodie arbitria infligitur pena istius legis transgressoribus, quæ etiam ad combustionem, de jure Saxonico, extendenda est, in casu si aquas vel fontes venenaverit quis. Land-R. lib. 2. art. 13. nam quando de pascuis veneno infectis, id statuere non dubitant Interpretes Carpz. pr. crim. p. 1. qu. 21. n. 29. 30.

cur non & idem de aquis aut fontibus vitiatis dici debeat, nulla ratio subest.

§. XVII. Neque in iis tantum subsistit prudens rerum publicarum moderatorum institutum, ut legum circa fontes præscriptis observantiam concilient in suis provinciis. Sed ulterius progrediuntur, & ad suam ipsorum curam & inspectionem pertinere censem, providere, ne civibus suis aqua desit. Inde vix invenietur respublica aut civitas alicubi, ubi non fontes, castella, & aqueductus publici reperiantur, ad succurrendum necessitati publicæ. Quibus Romani, uti alias, ita & hac in re præcellent. Primo enim Ancus Martius, romanorum Rex, aquam ante Aufejam, postea Martiam suo nomine dictam, in urbem perduxit. Hujus aqueductum continuauit ipsius successor Tarquinius Priscus. Secutus eos Cladius Appius Censor, qui aquam, quam Appiam postea vocarunt, invenit, & in Urbem deduxit. Item Agrippa & alii de quibus *Frontin. alleg. Leisero in Jur. Georg. lib. 3. cap. 34.*

§. XVIII. Infinitos autem labores & stupendos sumptus fecerunt Romani in extruendis ejusmodi operibus; siquidem aqua, Claudia dicta, ultra quadraginta millaria in Urbem ducta. Proinde refert Plinius si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam, extuctos arcus,

mon-

montes perfoſſos, convalles æquatas, fatebitur
nihil magis mirandum fuisse in toto terrarum
orbe vid. *Leifer. Jus Georg. lib. 3. cap. 34. n. 4.* Cui
rei ſuſtinendæ vētigalia imposta & leges latæ
ſunt; ita enim inquit Frontinus apud eundem
loc. all. antiqua lege cautum fuit: *Ne quis privatus*
aliam aquam ducat quam quæ ex lacu humum acce-
dit. Inspectores quoque constituti ſunt qui di-
cebantur curatores aquarum, item curatores
operum publicorum *L. 1. §. 1. ff. de oper. publ.* Quo-
rum Magistratum officium erat, tueri aquædu-
ctum, vindicare eum ab injuriis & damnis, curam
habere refectionis & conservationis, fraudes
aquariorum & aliorum inquirere easque elidere.
Leifer. loc. all. num. 12.

§. XIX. Eandem curam ducendarum aqua-
rum in Urbem continuarunt Imperatores Con-
ſtantinopolitani, uti ex toto titulo *Cod. de aquæ-*
ductu videre eſt. Id tamen addiderunt, quod
eorum inspectionem non Magistratui cuidam
inferiori, & nequidem Praefidibus provinciarum,
ſed ipſi Praefecto prætorio, Imperatoris locum te-
nenti generali, ſeu ut loquuntur hodie, primario
ſtatus ministro, commiferint. *L. 5. C. de aqueduct.*
neque cuidam ſive in Urbe ſive in provinciis ha-
bitet, permittitur, aquam de fonte publico, ſine
conceſſione Imperatoris & Praefecti Prætorio, du-

B 3

cere,

cere, *L. f. C. de aquæduct.* Fontes quoque publici, privati fieri vetantur, etsi ab initio quidam privatus, postea publicus factus, tamen privatus iterum fieri non potest, omnibus concessionibus, etiam Imperatoris ipsius cassandis. *L. g. C. de aquæduct.* De reparandis quoque fontibus & aquæductibus constitutiones edere non intermisserunt Imperatores, & execrabile ipsis visum est aquam habere venalem. *L. z. d. tit.* restituique jubetur pecunia, refectioni aquæductus destinata, in alium usum conversa *L. 8. d. tit.*

§. XX. Neque desierunt hodierni civitatum rectores, quod ad fontium & aquæductuum conservationem attinet, civibus suis prospicere. Ita restituit Adrianus I. Pontifex romanus aquam Sabbatinam dictam; & in Basilicam divi Petri perduxit, ad usus sacerdotum & lavandos pauperum pedes in cœna domini. Pauli quoque V. Pontificis maximi celebre opus, quo aquam, e saluberrimis agri Braccianensis fontibus, in montem Janiculum ad totius urbis usum perduxit, ex inscriptione ejus, quam exhibet *Leiser. in Jur. Georg. lib. 3. cap. 34. n. 4.* videre est.

§. XXI. In nostris quoque Germaniae civitatibus, pro qualitate locorum & situs ratione, publice consuli solet civibus usu aquæ. Ita instructa aliquibi reperiuntur castella *Wasser-Künste*, in

in quibus elevatur aqua in altum, & per diversos canales subterraneos in diversa civitatis loca emittitur ad usum universitatis. Alibi ubi propter rationem situs castellis non est opus, per eosdem canales ducitur in civitatem, & effunditur, *die Röhr-Brunnen*. Eadem curæ publicæ originem suam debent putei publici *Plump-Brunnen*, *Zieb-Brunnen*, qui aquam omnibus aestatibus æque claram habere solent.

§. XXII. Iсторум autem fontium inspectio-
nem superiorem habet Magistratus cuiusque ci-
vitatis, qui isti rei commodius expedienda & fini
obtinendo, officiales certos præponit, qui dicun-
tur *Röhr-Meister*, *Brunnen-Meister*. Ratione ædi-
ficationis & reparacionis ædiles *die Bau-Meistere*
curam quoque eorum habent; nam quia sunt in
proprietate universitatis, ex communi etiam
ærario sustentari debent. Contra frigiditatem
hyemis obtegi quoque solent receptacula aqua-
rum. Ordinantur insuper inspectores privati
e civibus in vicinia fontis habitantibus, qui pro-
videre, ne quid foetidi in fontem injiciatur, aut
aliud quicquam a malitiosis hominibus in præ-
judicium fontis fiat, illudque Senatui indicare
tenantur. Atque observantur circa eos leges
universales naturales & civiles hucusque addu-
cta non solum, sed & plerumque conduntur si
opus

opus est ordinaciones speciales circa eorum usum, quæ statutis inseri solent. Constitutio-nes Mediolanenses circa fontes & aquæductus vid. ap. Menoch. allegatum *Leisero d.l.*

§. XXIII. Non tantum vero fontibus pro-spiciendum ne iis noceatur, sed & eo laboran-dum, ne fontes noceant damnumque aliis inferrant. Damnum vero duplex est vel factum vel infectum. De facto, jure naturæ res certa est damnum datum sarciri debere *Pufend. de Jur. N. & G. lib. 3. cap. 1. §. 2.* quamobrem *damnum fonte quoque datum reficiendum est.* Neque interest an dolo vel culpa datum sit §. 3. & 14. *Inst. de Leg. Aq. l. 44. ff.* illud tamen differt, ut qui dolo nocuit puniri insuper possit. Quod & de jure civili ita obtinere censendum est *d. tit. ff. ad L. aquil.* ita ut etiam heredes ad damnum hoc modo sarcien-dum obligentur *arg. §. 9. Inst. de Leg. Aq. Sutholt. disp. 16. tb. 50.* etiam de jure Canonico *cap. 9. X. de Usur. Brunn. ad L. un. C. ex delict. defunct. in quant. hered. conven. num. 8.*

§. XXIV. Propter damnum vero infectum cautio præstanda est ab eo, a quo damnum futurum metuimus. Ita enim dicit Ulpianus in *L. 24. §. f. ff. de damn. infect. si puteum tam alte fodiam in meo, ut paries tuus stare non possit, damni inferti stipulatio committetur.* Cum itaque in suo fodere non

non licet cum damno vicini: multo minus licet in fundo communi vel publico.

§. XXV. Utrique damno occurrit jus germanicum, quo cautum: *Wer Brunnen oder Gruben gräbet, der soll sie verwerchen, also hoch, daß es einem Mann über seine Knye gehe. Ob er das nicht thut, welcher Schad davon geschickt den soll er gelten.* Schilt. exercit. 19. §. 57. quæ lex generalis est, & omne damnum, quoquaque modo contingere possit, comprehendit. Specialius loqui videtur jus Saxonum, his verbis: *Die Börne soll man bewahren eines Knyes hoch über die Erden, sonst muß man den Schaden gelten der von dem Ausfluß kommt.* Ubi licet tantum memoret damnum per effluvium aquæ datum, quia tamen unius positio non est alterius exclusio, ideo prudenter addit *Gloss. ad art. 38. lit. c. Land-R. lib. 2.* Oder wird zum besten verstanden, ob iemands Vieh oder auch ein Mensch in einen unbewahrten Born fiele, und darinnen verdürbe.

§. XXVI. Resarcendum autem damnum juxta leges in republica receptas. Principia generalia si species, aestimatio istius rei, quæ periiit, ita facienda, ut alia in ejus locum substituatur vel pretio compensetur, ut si v. g. bos perierit, aliis ejusdem estimationis, aut premium pro eo refundendum sit. De jure romano qui seryum vel quadrupedem, quæ pecudum numero est,

C

occī-

occiderit, quanti ea res, in eo anno, plurimi fuerit pr. *Inst. de Leg. Aquil.* & L. 2. ff. ad L. *Aquil.* qui alio modo damnum dederit, quanti in diebus triginta proximis plurimi fuerit, §. 13. & 14. *Inst. de L. aquil.* & L. 27. §. 5. ff. ad L. *aquil.* tantum domino dare damnatur. Atque hanc legis aquiliæ vim ac potestatem etiam hic obtinere in quæstione puteorum, probatur arg. L. 28. pr. ff. ad L. *aquil.* Sed hæc obtinent in iis rebus quæ æstimationem recipiunt: cum vero liberi hominis nulla æstimatio de Jure Romano fieri possit, L. 1. §. 5. ff. d. his qui effuder. vel dejecer. l. 2. §. 2. ff. de leg. Rhod. ita reparatio damni facienda erit juxta præscriptum l. 3. ff. si quadr. paup. fec. dic. Jure vero nationum Teutonicarum, præcipue Saxonico, singularum rerum, etiam ipsorum corporum liberorum æstimatio, quæ dicitur Wergeldum, introducta est. Schilt. Exerc. 19. §. 14. seqq. qua ratione & hoc casu damnum resarcendum est, ita ut pro masculo, qui periret in puteo, integrum, pro fœmina dimidium Wergeldum heredibus ipsius solvendum sit.

§. XXVII. Præstanda est ista æstimatio damni & solvendum Wergeldum ab eo qui est dominus putei, quisquis ille sit. Neque enim in reparacione damni distinctio personarum est attendenda, Pufend. lib. 3. cap. 1. §. 2. t. t. ff. ad L. *Aquil.*

Aquil. quæ leges cum non distinguant, ideo nec nobis distinguere licet. *l. 9. C. de her. vel alt. vend. l. 1. §. 3. de aleat.* Similiter etiam reparatio damni incumbit iis, qui Domino operas circa fontes locarunt. *l. 9. §. 3. ff. loc. cond. Lauterb. eod. tit. p. 390.*

§. XXVIII. Nunc de jure seu facultate hominibus circa fontes competente & de obligationibus hinc inde eorum intuitu oriundis. Et quidem quod usum fontis attinet, quoad fontem nullius, res certa est, cuilibet liberum ipsius concessum esse usum, tam ratione sui, quam ratione familiae, & pecorum. Regulariter etiam aquam ex eo ducere permisum est, modo non deterior reddatur usus ejus ratione aliorum, & non ducatur per fundum alterius. Prius si factum fuerit, par jus & potestatem quoque habent alii homines, taliter & in præjudicium ipsorum utenti, resistendi & canales quos posuit resecandi. *arg. l. 1. pr. ff. quod quisque jur. in alt. secundo casu obstat jus dominii, vi cuius quilibet, in ejus præjudicium aliquid moliens, a quoconque ejus usu repellere potest. §. 12. Inst. de rer. div.*

§. XXIX. Usus fontis publici cuilibet, qui est de ista republica pater. Et quoniam ejusmodi fontes quoad proprietatem ad rempublicam spectant, *l. 9. C. de aqueduct.* ab eadem etiam conservari solent, ideo de jure omnis ille, qui

non ejus reipublicæ civis, ab usu fontis excludi, neque quocunque etiam juris prætextu, usus ejus prætendi potest ab extraneo. Interim tamen mutuae præstationes officiorum humanitatis hic observari solent & debent, ita ut istis forensibus, qui in republica tolerari solent, etiam usus fontium publicorum prohiberi nec oporteat nec possit. Et si quæ forte respublica istud tentaverit, exclusi jure retorsionis uti poterunt *arg. tit.*
quod quisque jur. in al.

§. XXX. Usus fontis in proprietate universitatis cujuscunque existentis, ad eos, qui sunt ex ista universitate, spectat, qui promiscuus est, ita ut nec quispiam præ altero prærogativa ulla gaudeat. Nam obtinet hic illud: prior tempore potior jure, & qui ex puto amphoram plenam exhausit, omnem eam sibi acquisivisse censetur, nec licet alteri partem quandam, sine ipsius voluntate, abripere, *arg. §. 18. Inst. de rer. div. Huber. pos. ad Inst. h. t. pos. 41.* In iis vero locis ubi tempore æstivo, uti fieri potest, fons adeo modice salit, ut omnes simul ad aquæ haustum accedere non possint, prævenienti non concedendum est, in præjudicium expectantium, ultra modum aquam haurire, sed alternativum juxta leges societatis æqualitatem desiderantes alii quoque admittendi sunt. *arg. §. 2. Inst. de societ. l. 29. ff. §. 2. pro soc.*

§. XXXI.

§. XXXI. Quod si vero neque universitas, neque singulæ ejusdem familiæ, fontem habent, quæritur an alterius cujuscunque fontis usus pateat? De fonte nullius non est quæstio, neque dubitabit quispiam quin usus ejus liber sit. De fonte in proprietate constituto saltem sermo est, & respondetur: fontis publici istius civitatis ad quam pertinet universitas usum incolis patere, indoles dominii fontis indicat. Alterius vero universitatis aut quorumcunque singulorum fonte, citra ipsorum voluntatem, uti non possunt, sed obstabit ipsis semper primarius effectus proprietatis, scilicet jus alios excludendi ab usu. arg. §. 12. *Inst. de rer. div.*

§. XXXII. Simili modo & usus fontis singulorum aut communis ad eos singulos, aut quibus est communis, pertinet, quod & dicit *Gloss. Land-R. cap. 71.* *Würde ein Spring auf einen Acker, des Ackers Herr, hat den Spring und mag ihn fassen auf den Acker, ob er will und teichen.* Et isti semper, vi dominii, alios ab usu ejus excludendi, potestatem habent. An vero & ipsam universitatem? Resp. utique quia universitas dominium quoddam supereminens, uti princeps in res privatorum, non habet; deinde quia universitas non nisi ex singulis constat, hinc qui singulos excludere potest, etiam universitatem excludere potest.

C 3

§. XXXIII.

§. XXXIII. Dicenda quoque quædam sunt, de alieni fontis usu, qui dicitur servitus, *l. 2. ff. de serv. præd. rust.* & hic loci est jus ex alieno fonte aquam percipiendi in utilitatem rei familiaris. Ex fonte percipiendi, inquam; hinc nihil interest, sive aqua ex fonte vel puteo hauriatur, sive a fonte ducatur plane, eadem enim semper est servitus. Illud tamen hic attendendum, cum, qui dat jus ad finem, det etiam jus ad media, quod dominantι etiam necessaria via ad fontem, item facultas canales ponendi per fundum servientem quatenus opus est, concedi debeat. *l. 3. §. 3. ff. de serv. præd. rust.* Dicebatur ex fonte alieno, res enim propria non servit, *l. 26. ff. de præd. urb.* & quidem eo, qui est in dominio unius vel plurium singulorum, non qui est in dominio reipublicæ vel universitatis, ibi enim quia quilibet de ista republica & universitate jus hauriendi suo jure habet *§. 6. f. de R. D.* ideoque jure servitutis illud habere non potest. *arg. dict. l. 26.*

§. XXXIV. In genere autem usus fontium juxta ea quæ supra *§. 12. & seqq.* dicta sunt, determinandus est, & si quid contra factum fuerit dantur remedia consuera ad jura conservanda. In statu naturali & gentium bellum aut violentia defensio. Sic quando v. g. unicus fons, quo utitur civitas populosissima Zeila in Africa, que
dua-

duarum dierum itinere ab ea distat. *P. de Val. in Geogr. p. m. 329.* a vicino populo occupetur, non possit non bellum oriri. *Grot. lib. II. cap. 2. §. 12.* *Pufend. lib. VIII. cap. 6. §. 3.* In statu civili actio pro vindicando dominio vel singulari vel communi fontis. *I. 23. pr. ff. d. R. V.* Implorationes item officii judicis, ad impetrandas inhibitiones, contra impedientem uti fonte publico vel universitatis, vel communi; & interdicta retinenda vel recuperandæ possessionis aquæhaustus ex fonte. *I. un. ff. de fonte.* Denique actio confessoria ad asserendam sibi servitutem aquæhaustus ex fonte alieno, contra vetantem; & negatoria, ad negandam servitutem aquæhaustus in fonte suo, adversus prætendentem.

§. XXXV. Fontibus autem sèpissime uti non possumus, nisi accedat aliquid laboris, operæ aut impensæ; cum vero hæc oneris sint, quod plurimi declinare solent: ideo dispiciendum, quid juris & obligationis his casibus cuiilibet competit. Et quidem quod fontem jam existentem restaurandum attrinet, dicendum, ad fontem nullius reparandum neminem jure teneri per se: fieri tamen posse, ut teneantur quidam ex necessitate quadam superveniente, dum usum fontis non adeo commode habere possunt, nisi renovetur.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Fontes publicos reparare tenetur, fiscus aut ærarium publicum istius reipublicæ ad quam pertinent, ejusque rei causa vectigalia certa institui eoque destinari solent. l. 7. C. de aquæduct. Vectigalibus vero non sufficientibus, vel plane nullis impositis, refection ex communi pecunia fieri debet, ab omnibus ex universa civitate facta collatione, nemine excepto, cujuscunque sit dignitatis, quia communem usum & utilitatem respicit. l. 7. C. de Oper. publ. & tenetur quilibet indistincte, sive fonte utatur sive non, sive usui illius plane renunciare velit. Leifer. Jur. Georg. lib. 3. cap. 34. n. 8. non confundendus tamen est fons publicus cum fonte Principis, hic enim in ipsius dominio est, & privatis ipsius rebus accensetur arg. l. 2. C. de aquæduct. ideoque etiam ex privato ipsius ærario reficiendus erit. Operas tamen, si quas alias præstare obligati sunt subditi, & hic præstare debent.

§. XXXVII. Similiter & reparatio fontium universitatis ad eos spectat qui sunt de ista universitate. Et pecunia necessaria ex ærario communi desumi debet, & opera ab omnibus æqualiter adhibendæ sunt. Si pecunia communis non adsit, tunc singuli de ista universitate contribuere debent, neque potest quispiam se excusare quod fontem proprium habeat. Fundamentum istius

istius decisionis desumendum est a consensu, quem quilibet de universitate dedisse censetur ad rem quamlibet, & hic in specie ad fontem instruendum aut puteum fodiendum. Qui consensus jus inter ipsos fecit l. 40. ff. de legib. atque opere semel extructo in perpetuum durat, & in singulis successoribus continuatur; neque a quopiam in præjudicium universitatis revocari potest. arg. l. 2. Cod. si in fraud. patr. libert. Et quamvis instructio & reparatio operis diversa sint, tamen qui vult id quod magis est, voluisse præsumitur quoque id quod minus est.

§. XXXVIII. Itaque non opus est desumere argumentum a simili ex art. LIV. lib. 2. Juris prov. Saxonici cum Glossatoribus ibidem lit. b. a pastore communi seu universitatis ad furnum & ita porro ad fontem vel puteum universitatis. Et quamvis decisio ista vera sit, tutius tamen generali & genuino fundamento Juris insititur ex coque decisiones ad casus obvenientes per modum conclusionum formantur, quam a conclusione aliqua ad aliam similem proceditur.

§. XXXIX. Quando vero de refectione fontis universitatis sermo est, id non tantum de purgando ipso fonte ad usum hauriendi, sed & de restituendis machinis, quibus mediantibus aqua v. g. ex puteo hauritur, intelligendum est;

D

ita



ita ut & haec ex communi contributione reparandæ sint, & ut isti singuli, qui proprios puteos habent, contribuere quoque teneantur, neque possint se excusare, quod in proprios fontes impensis facere necesse habeant.

§. XL. Reparationem fontis communis iis incumbere, in quorum proprietate communi est; singulorum in quorum proprietate singulari, per se pater. Illud tamen monendum circa fontem communem in præjudicium alterius socii nihil innovari posse, neque suscipiendam restorationem sine consensu aut voluntate ipsius. In re communi enim melior est ratio prohibentis. l. 28. ff. comm. div. quod si vero alter necessarios sumptus impendere recusat, poterit alter suis impensis fontem reficere, & actione pro socio eas repetere arg. l. 52. §. 12. ff. pro soc.

§. XLI. Servientis fontis reparatio cui incumbat dispiciendum, servientis ne an dominantis prædii Domino? Regula in l. 6. §. 2. ff. si serv. vind. est: *in omnibus servitutibus refectio ad eum pertinet, qui sibi servitutem asserit, non ad eum cuius res servit.* Una saltem exceptio in oneris ferendi servitute admittitur, ubi serviens reficere teneatur d. l. 6. & l. 33. ff. de serv. præd. urb. Nihilominus in servitute aquæ immittendæ inter se discordant DD. quorum quidam servienti, vid. Bussus

sius ad l. 15. ff. de serv. dominanti alii Schilt. exerc. 47.
§. 68. refectionem fossæ adjudicant. Posteriori
sententia etiam nos ad stipulamur, uti ex §. 53. &
59. infr. patet. Verum de eo jam quæstio non
est, sed de ipso fonte reparando. Ubi quidem
tutius est inhærere regulæ, ut prædii dominantis
dominus aut possessor fontem servientem refice-
re teneatur. Neque enim exceptiones, quæ re-
gulas confirmant, sine expressa lege facile exten-
dendæ sunt.

§. XLII. Remedia ad obtainendam repara-
tionem fontium & puteorum a refractariis, in
fontibus publicis & universitatis, eo casu, si adest
ærarium, necessaria non sunt, sed pecunia ad id
necessaria inde desumi tantum potest. Eo vero
casu quando pecunia publica deficit, indictio
singulis facienda, quam in casum non præstitæ so-
lutionis, executio sequitur. Idem etiam servatur
in ea universitate quæ jurisdictionem habet.
Quando vero ea non gaudet, tum poterit actio-
nem instituere coram judice competente, & pe-
tere ut ad præstandam suæ portionis summam
officio judicis adigatur. Quod & similiter ser-
vatur circa fontem communem, si socius officium
præstare recusat, ubi datur & actio pro socio ad
repetendas impensas in fontem factas, uti §. 40.
dictum. Actio ad reparandum fontem in pro-

prietate singulari constitutum, nulla dari potest; sed ipsa indigentia aut utilitas ceconomica remedium sat firmum suppeditabit.

§. XLIII. Hæc ita de fonte jam existente reparando: cum vero non ubique fontes existant, ideo multo labore & impensa aut e visceribus terræ quærendi, aut ab uno loco in alium ducendi sunt, igitur & quid his casibus juris sit dispicendum. Et quidem quod attinet fontem seu puteum de novo fodiendum, in fundo nullius cui libet licere puteum fodere firmiter existimandum est: suadet hanc decisionem natura rei nullius §. 12. *Inst. de rer. divis.* ita tamen ut iste locus, una cum via ad puteum, occupatione, modo acquirendi dominium de jure gentium, ad istum fodientem transiisse censendus sit. *dict.* §. 12. *Inst. de rer. divis.* de cetero vero etiam hic observanda sunt ea, quæ supra §. 24. & 25. dicta sunt.

§. XLIV. In loco publico puteum fodere privato non licet, obstat enim huic factō dominium publicum, nisi id ipsi a summa potestate indulgeatur. Et quamvis re publica utendi, quilibet de ista republica, facultatem habeat, istud tamen de usu consueto intelligendum. Neque acquirit hoc casu proprietatem fontis & loci sine speciali concessione Imperantis. *arg. l. 9. C. de aquæd.* Ipse vero Princeps in loco publico pro lubitu

Iubitu fontem aut puteum fodere potest. An vero etiam in privato? non potest, nisi necessitas publica id exigat, quo casu tamen privato ex publico ærario satisfactio facienda. Atque hoc casu fons erit publicus & impensa ex publico ærario, aut hoc deficiente ex omnium contributio-
tione sumendæ sunt, prout de reparatione di-
ctum est supra §. 36.

§. XLV. Similiter & in loco universitatis, singulis non licet puteum fodere, sine permissione universitatis. Nec universitati, in loco ad dominium singulorum pertinente. Ampliatur prius ut nec tribus vel quatuor ex universitate puteum inter ipsos communem fodere ibidem, in præjudicium universitatis, nisi ista consenserit, permisum sit. arg. l. i. §. 1. ff. quod cuij. univers.

§. XLVI. In suo vero cuilibet puteum aperi-
re licet indistincte, modo tamen, juxta moni-
tum §. 25. nemini damnum fiat. Istud vero pro
damno non æstimandum, quando hoc modo
venæ vicini putei præciduntur; neque enim exi-
stimari operis mei vitio, damnum tibi dari, in ea
re, in qua jure meo usus sum, ait JCtus in l. 24.
§. f. ff. de damn. infect. Quod si vero in horto
circumsepto puteum quis aperiat, nec tegere aut
munire, juxta leges supra §. 25. allatas, curaver-
it; vicini vero pecudes sepem perrumpentes

D 3 hor-

hortum intraverint, & hac occasione puer aut pecus in puteum inciderit, ibique perierit, quaeritur an teneatur is cuius est puteus? non credendum, sufficit enim hic, quoad vicinum, hortum fuisse circumscriptum *Land-R. lib. 2. art. 49.* *arg. l. 28. pr. ff. ad l. aquil.* itaque damnum ex lascivia pecudum potius, quam culpa domini putei factum esse censendum est. *arg. §. 5. Inst. de Leg. Aquil. Hopp. ad Inst. si quadr. paup.* Idem dicendum, si vicinus partem sepius reficere obstrictus, id intermisserit, sua enim ipsius negligentia damnum datum esse censetur. *l. 203. ff. d. reg. jur. & alleg. art. 49.*

§. XLVII. Alter modus fontes in eo loco ubi nulli existunt procurandi, est ductus fontium seu aquarum, modus antiquis & hodiernis temporibus maxime frequens *conf. supr. §. 17. 18. seq.* Circa hunc autem juxta divisiones hucusque observatas, juris est, ut ex fonte nullius cuilibet aquam ducere licitum sit, modo non ducat per fundum alterius. Duplex enim hic consideratio facienda est, una intuitu fontis ex quo, altera intuitu loci per quem ducitur aqua. Per locum nullius eodem jure, uti ex fonte nullius aquam ducere licet. Ex fonte publico per locum publicum non æque, licet tamen utrumque ex concesione imperantis. Ubi quidem sufficit, aquædu-

ctus

Etus in genere, vel ex fonte, factam fuisse mentionem, ductum per fundum publicum semper inesse statuendum ex l. 3. §. 3. ff. de serv. prædior. rustic. Id quod & dicendum est omnibus casibus, ubi fontis & fundi Dominus idem est, semper enim ita concessio uno, alterum etiam concessum esse credendum est. d. l. 3. §. 3. Ubi vero diversi sunt fontis & fundi domini, ibi utriusque consensus in specie, ratione ductus aquæ ex loco & per locum requirendus est. Qui loci a quo; per quem, & ad quem fons ducitur, dominus simul est, libere potest ducere absque servitute, res enim propria non servit. l. 5. pr. ff. si usus fr. pet. b. e. e. sub.

§. XLVIII. Potest autem aquæductus constitui propter quamcunque causam, ita ut non solum ad irrogandum, & pecoris causâ, sed & amcenitatis gratia aqua duci possit. l. 3. pr. ff. de aqu. cottid.

§. XLIX. Universitas aquam ducere potest ex fonte nullius vel universitatis istius. Ex fonte publico non potest, sine concessione Principis l. 11. C. de aqued. neque ex fonte alterius universitatis, nisi ista consenserit, aut hæc alio legitimo modo sus aquæ ducendæ acquisiverit. Imo neque ex fonte unius ex singulis de ista universitate, omni namque casu obstat dominium fontis ad excludendum alium. §. 12. J. de rer. div. Re-

stri,

strictionem tamen recipiunt hæc eo casu, quando universitas aqua indiget, ubi officii principis erit, indigentem aut ex publico sublevare, aut præcipere, ut altera universitas, aut quilibet possessor fontis, si aqua abundant, petenti suis sumptibus aquæductum permittant. Ad id vero ipsius potestas se non extendit, ut in favorem unius universitatis alias operis, ad struendum aquæductum necessarium, prægravet. Nisi ex ista universitate ceteris aut universæ reipublicæ singulare emolumentum accedat, v.g. oppido munito.

§. L. Licitum quoque est singulis aquam ducere ad suam ipsorum utilitatem, etiam ex castello, flumine vel alio loco publico, modo id a principe concedatur, nulli enim alii competit jus aquæ dandæ l. i. §. 41. 42. ff. de aqu. cottid. similiter & ex castello universitatis, licitum est civibus aquam ducere in ædes proprias, si id impetraverint, in civitatibus a magistratu, in pagis ab universitate, pro qua concessione certa pecunia summa, aut semel aut singulis annis solvenda, exigi solet. Quam aquam ita promissam, juxta legem contractus, civitas civi præstare tenetur: si nihil adjectum sit, forma statutorum observanda, si statutum non adsit, forma vetus & consuetudo civitatis sequenda est. Leifer. Jur. Georg. lib. III. cap. 33. n. 35. Ex fonte alieno & per fundum

dum alienum priyatūm, ducere non licebit aquam, sine consensu utriusque & sine constituta aut acquisita servitute, l. 2. l. 4. C. de servit. & aqu. Eadem ratione neque ex fonte duobus communī, sine utriusque socii consensu aquam ducere licebit, obtinebit enim hic illud: in re communi melior est ratio prohibentis. l. 28. ff. comm. div. Civiliter quoque constitutio aquæductus interpretanda, non quo velit dominans, sed quo cum minori fundi servientis detrimento fieri possit l. 9. ff. de serv. ut si quis per eam partem aquam ducere velit, quæ ædificiis, arboribus & vineis sit consita, hoc minime liceret. Leifer. J. G. lib. III. cap. 33. n. 34.

S. LI. Ex uno autem fonte pluribus, si nimur ad id sufficiens sit fons, aquæductus constitui potest, l. 2. §. 1. ff. de serv. præd. rus. modo ramen id non fiat in præjudicium ejus, cui prius servitus concessa l. 17. ff. de serv. præd. rus. Qui vero aquæductum habet, alteri ex eo alium aquæductum constituere non posse, vult Leifer. lib. III. cap. 33. n. 17. quia ultra modum uteretur, nec servitus servitutis constitui possit. l. 1. ff. de usu fr. leg. Verum cum leges allegatae rem non probent, non poterit adduci ratio, cur illi, qui aquæductum semper salientem habet, non liberum sit, vicino aquam deciduam atque superfluam, iterum con-

E

cedere,

cedere, atque ita ex hoc alium aquæductum constitueret. Certe suadet id ratio l. 28. de serv. præd. urb. de casa perpetua ad constitutionem aquæductus necessaria, quæ hic evidenter subest. Et sèpiuscule id ita observari credendum est.

§. LII. Reparatio ad aquæductus competit ei qui posuit primo, sive qui duci curavit aquam, sive is Princeps sit sive universitas sive privatus. Is per cuius fundum transit aquæductus pati tantum tenetur refectionem fieri. Circa aquæductum tamen publicum statutum, ut aquarum possessores, per quorum fines formarum meatus transeunt, ab extraordinariis oneribus sint immunes, ita tamen ut eorum opera aquarum ductus sordibus oppleti, mündentur. l. i. C. de aquæduct. Iisdem possessoribus ab utraque parte arbores intra spatum quindecim pedum, plantare prohibitum est, ne ex stirpibus, sive potius radicibus labefactentur parietes aquæductuum ead. l. i. & l. 10. C. de tit. ex quibus appetet aquam hoc casu duci per fundos privatorum jure dominii eminentis, non jure servitutis. De consuetudine hodierna ejusmodi fontes publici eorumque aquæductus operibus rusticorum plerumque purgari solent, a quibus nec ipsi fundorum possessores immunes sunt regulariter, & si qui opifices ad refectionem adhibentur, ex publico

publico ipsis solutio facienda erit. Arg. t. t. ff. de
L. Rhod.

§. LIII. Reparatio aquæductus universita-
tis omnibus & singulis qui sunt de ista universita-
te incumbit, deficiente pecunia communi, ab
universis conferenda, aut opera adhibendæ. Et
universitas medium coercendi, scilicet exclusio-
nem ab usu fontis habet. Idem & de aquædu-
ctu communi & singulorum statuendum. Aquæ-
ductum alienum reficere nemo tenetur regulari-
ter, nisi quod rustici in refectione aquæductuum
dominorum suorum, operas suas, juxta modum
receptum, præstare debeant. Aquæductum pri-
vatum per alterius fundum transientem, non
dominus fundi, sed dominus aquæductus refice-
re tenetur, l. 6. §. 2. ff. si serv. vind. Schilt. exerc. 47.
§. 68. ita tamen ut libera ei facultas permittat-
tur a domino serviente, nec impediatur alter in
reparatione necessaria. Via tamen canarium
semel recepta mutanda in reparatione non est,
sed antiquæ insistendum l. 9. in f. ff. de serv.

§. LIV. Remedia juris circa aquæductis
varia sunt. Et quidem eadem de quibus supr.
§. 34. mutatis mutandis locum habere possunt.
Scilicet imploratio officii judicis contra turban-
tem in aquæductu, ex publico vel universitate
permissa item in fundo proprio. In casu servi-

E 2 tutis,

tutis, confessoria aut negotioria. Item possessio-
nis aqueductus retinendi aut recuperandi & in-
terdicta de aqua quotidiana i. t. ff. eod. de aqua
ex castello l. i. §. 38. eod. interdictum de fonte i. t.
ff. de fonte. In casu servitutis non constitutæ
etiam privatum remedium concessum est, & ve-
nas aut canales in suo positos ab altero, incidere
potest dominus fundi. l. 21. ff. de aqua & aqu. plur.
arc. Leisen. Jur. Georg. lib. III. cap. 33. n. f. ibique
alleg. Struv. de vind. priv.

§. LV. Restat nunc de cloacis fontium
brevibus differere. Definitur cloaca in l. i. §. 4.
ff. de cloac. locus cavus, per quem colluvies qua-
dam fluit, quæ definitio etiam vera est. Inter-
rim liceat pro materia substrata cloacam hic su-
mere, pro quacunque effluentia fontis, Abzucht,
Überlauf des Brunnens. Hæc plerorumque font-
ium proprium esse solet, igitur quid & hic juris
sit disquirendum.

§. LVI. Recipit autem cloaca sive effluen-
tia fontis easdem divisiones ac ipse fons ex quo
fluit. Maxima autem controversia ejus intuitu
oriri solent, circa dirigidam cloacam & aver-
tendam aquam ne alteri noceatur, & circa repa-
rationem cloacæ deperditæ: & generaliter di-
cendum est, nemini licere cloaca alteri damnum
inferre, sed potius ad id avertendum, uti & ad
dam-

damnum datum resarcendum tenetur. Néque interest
cujuscunque cloaca sit.

§. LVII. Ducenda autem est cloaca publica super
locis publicis, nisi aliter fieri non possit, quo casu tamen
domino fundi per quem transit, satisfactio præstanda.
Cloaca privata ducenda est per fundum privatum ipsius
qui possidet fontem. Neque duci debet prope parietem
vicini; spatiū de jure Saxonico determinatum est triū
pedum per textum: *Open, Genge, das sind Wassergerinne, und
Schweinställe, die sollen drey Füsse von eines andern Mannes
Zaun stehen. Land-R. lib. 2. art. 51.* Ex proprio vero in
publicum ducere licet.

§. LVIII. Constituta tamen servitute etiam per alię
num fundum duci potest cloaca. Imo quandoque inevi-
tabili necessitate hæc servitus constituitur, si v. g. fons in
alto salit, cuius aqua superflua, alio quam per meum fun-
dum effluere non potest. Inde naturalis quædam servitus
dicunt ab Ulpiano in l. i. §. 22. & 23. s. de aqu. & aqu.
pluv. arc. Neque permisum est aquam impedire, wo das
Wasser seinen natürlichen Fluß hin gewinnet, den soll man
nicht webren, wer ihm aber einen neuen Weg macht, der soll
leiden solche pein, ob hätte er einen Teich abgestochen. *Gloss.
Lebn-R. art. 71.* Quæ necessitas tamen in aqueductu in
suum recipiendo non est, nam qui occasionem cloacam
emittendi non habet, ille etiam recipere ipsum non debet in
præjudicium vicini, aut de eadem etiam sibi prospicere.

§. LIX. Reparatio cloacæ semper ad eum spectat
qui est dominus fontis vel aqueductus. Et hoc est criti-
cium certissimum ex quo etiam diadicandum cuius sumptu-
bus reparatio fieri, & a quo damnum cloaca datum resar-
ciri debeat. *Schilter. Exere. 47. §. 68.* Nec interest an per
privatum an per publicum fundum transfluat, eadem enim
semper

Temper adest ratio. Quin potius cloacæ publicæ publicam curam mereri dicuntur in l. 1. §. 3. ff. de cloac. & quæ ibid. pr. de refectione cloacæ & damno statuuntur, de privatis intelligenda sunt. In causa servitutis, refectione cloacæ in cùmbit prædio dominantis, sive illi qui fontem vel aquæ ductum possidet, per alienum fundum servientem. In omnibus enim servitutibus refectione ad eum pertinet, qui sibi servitutem afferit, non ad eum cuius res servit, inquit Ulpianus in l. 6. §. 2. ff. si serv. vind. Obligatus vero est serviens refectionem istam permittere, neque eum impeditre potest. l. 1. pr. ff. de cloac.

S. LX. Remedia circa cloacas sunt interdictum de cloaca. l. 1. pr. ff. b. t. si alter refectionem impedit. Actio in factum de damno per cloacam dato l. 33. §. 5. ff. ad l. aquil. qua competit etiam contra civitatem Schilt. Exere. 47. §. 68. Item pro cautione de damno infecto interdictum de cloaca d. l. 1. b. l. 27. §. 10. ff. ad l. aquil. cuius loco a republica petitur recompensatio, atque despicer Princeps adiri potest. Schilt. all. loc. In casu turbati aut impediti usus cloacæ, competit remedia possessoria, et alia de quibus §. 34. et 35. quæ muratis mutandis huc quoque applicari possunt.

Plura addere neque necesse, neque instituto conveniens est; et si quæ forte minus accurate posita, aut plane omissa deprehendantur, ea candori tuo B. L. emendanda, aut ex principiis adductis supplenda relinquo.



Jena, Diss., 1711 (A/R)





19
IO. BERNHARDI Friesen, IC.

HEREDITARII IN POESEN,
SERENISS. DVC. SAXO-ISENAC. CONSIL. AVL. ET CONSIST.
NEC NON ANTECESSORIS, COLLEG. IVRID. ET SCAB.
ASSESSORIS GRAVISSIMI,

Pr. 4. num. 16.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA,
DE
IVRE FONTIVM,

Oder:

Bom Brunnen-Recht.

QVAM
IN CELEBERRIMA ACADEMIA IENENSI
D. V. IAN. AN. MDCCXI.
PRO GRADV DOCTORIS
QVONDAM HABVIT
CHRISTIANVS DOEHLER,
TREBNIZ. MISNICVS.



IENAE, REC. LITTERIS RITTERIANIS,
M DCC XXXV.

KENFRIED
UNIVERS.
EVHALIE

